



**D. D. Emanuelis Gonzalez Tellez, In Inclyta Salmanticensi
Academia Collegii Majoris Conchensis Alumni, &
antiquioris vespertinæ Sacrorum Canonum Cathedræ
propriarii Interpretis; in Pinciano Sanctæ ...**

Additis Notis uberioribus ab Historia, & Chorographia

Complectens Librum Qvintum

González Téllez, Emanuel

Francofurti Ad Moenum, 1690

Capvt XIII. Idem. a Catalaun. electo & Abbati b Triumfontium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74544](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74544)

CAPVT XIII.

Idem. ^a *Catalaun. electo* & ^b *Abbat* ^c *Triumfontium.*

EX parte Abbatissæ, ac Sororum Iotren. Ecclesiæ nostris fuit auribus intimatum, quod ven. f. n. Melden. Episcopus commissionis occasione cuiusdam ad ven. f. n. Parisien. Episcopum, & dil. fil. Abbatem de Lantun. à nobis obtentæ, in qua nulla mentio habetur de ipsarum privilegiis, quæ illas, & earum Ecclesiam, Clerum & populum ^c Iotren. ad Ap. Sed. nullo mediante spectare declararent, quorum ipse non erat ^d ignarus, eas inceperit graviter molestare, obedientiam ab ipsis, ac Clero, & populo villæ Iotren. qui secundum privilegia Sedis Apostolicæ gaudent consimili libertate, & subjectionem omnimodam impendendam sibi requirens. *Et infra:* Verum cum iudices & assessores eorum ipsas valde gravarent, ad appellationis beneficium convolarunt. *Et infra:* Sed iudices ipsi appellationi minimè deferentes, nec fragilitati sexus compatiens earum, in Abbatissam excommunicationis vinculum, & in populum villæ Iotren. interdicti sententias protulerunt. Sanè cum nuntii Iotren, Ecclesiæ prædictæ, & alia multa in nostra præsentia retulissent, quibus eas, & suos contra libertatem eis concessam gravatos dicebant, privilegium nobis Apostolicum ostenderunt, per quod Ecclesiam Iotren. constabat ad Romanam Ecclesiam specialiter pertinere. Nos autem eos diutiùs detinentes propter ap. prædictam, quia tamen tandem nullus apparuit idoneus responsalis, qui partem defenderet adversam, licet postmodum quidam simplex nuntius super hoc prædictorum Parisien. Episcopi, & Lantun. Abbatis literas præsentasset, privilegium Ap. Sed. Ecclesiæ Iotrensi concessum duximus innovandum; ita tamen, ut per innovationem ipsius eidem Ecclesiæ nihil juris plus accrescat, quàm per privilegia prædecessorum nostrorum obtinuit, cum per hoc novum ei non concedere, sed antiquum jus conservare ^e velimus.

NOTÆ.

1. ^a *Catalaun.* In tertia collectione, sub hoc tit. cap. 3. legitur *Cauthaubaven.* sed malè, nam Catalaunum Campaniæ urbs, ad Matronam fluvium sita, in provincia Rhemenfi Galliæ, habet Cathedram Episcopalem, cujus Episcopus est Dominus temporalis urbis, Comes, & Par Franciæ. Fulbertus Carnot. *epist.* 78. *Ne civitati, vel Ecclesiæ Catalaunorum suum denegat honorem, meminisse vos decet, quod in antiquis inscriptionibus Belgicæ ipsa civitas à Rhemenfi tertium locum habuit.* Ut referunt Fratres Sarmat. tom. 2. *Gallie fol.* 501. *Chenu in chronolog. Gallie fol.* 288. Rigardo electo tantum in Præsulem hujus Ecclesiæ rescribit Innocent. in præsentia, ut notavit Bosquetus in *notis ad Innoc. III. lib.* 1. *Registr.* 13. *epist.* 22.
2. ^b *Triumfontium.* Monasterium hoc est ordinis Cisterciensis in dicecesi Catalaunensi, in Ducatu Barenfi, cujus fundationem refert Guillelmi Abbas *lib.* 1. *hystor. cap.* 13. his verbis: *Petente,*

*Et agente Domino Guillelmo Episcopo, in Episcopatu Catalaunensi, eam, quæ Triumfontium dicitur, domum construxerunt, ad quam cum Abbatem cum monachis emisissent, Dominum Rogerium virum nobilem secundum seculum, sed nobiliorem sanctitate; & viros quosdam similis forme cum eo, spiritualis pater (Bernardus scilicet) filios, quos emisit, non dimisit, sed paternæ sollicitudine, & pia affectione cum eis erat. Alia de ipso monasterio congererunt Claudius Robertus in sua Gallia Christiana, Matrique tom. 1. *annal. Cisterc.* anno 1118. *cap.* 3. *num.* 4. Fratres Sarmat, tom. 2. *Gall. fol.* 881.*

^c *Iotrensis Ecclesiæ.* De quo monasterio nonnulla adduxi in *cap. dilectæ, de excess. Pralat.*

^d *Non erat ignarus.* Hæc verba exposui in *cap. super 20. de rescript.*

^e *Velimus.* Quia invocatio, seu confirmatio privilegii jus novum non tribuit, sed antiquum confirmat., *cap. quia 29. hoc tit. cap. cum dilectæ, de confirmat. utili;* ubi commentarium hujus textus dedi.

CAPVT XIV.

Idem. ^a *Colubriensi Episcopo.*

CVM olim ad Ap. Sed. accessisses, & propter quæstiones, quas adversus dil. fil. Priorem & Canonicos S. ^b crucis habebas, pro quibus fuerat ad nostram audientiam appellatum, moram feceris longiorem, quia pro parte altera nullus comparuit responsalis, eidem Priori, & fratribus in virtute obediendiæ districtè ^c præcepimus, ut usque ad festum omnium Sanctorum proximo tunc futurum per se, vel per sufficientes responsales,